Sienkiewic Petri: Seraphicum vitae amphitheatrum S. Francisci Confessoris, sacris adumbratum virtutibus stylo poetico in lucem publicam productum.

SERAPHICVM VITÆ AMPHITHEATRŪ,

SANCTI FRANCISCI CONFESSORIS,

Sacris adumbratum Virtutibus,

Inter Festiuam eius Diei Solennitatem,

Stylo Pòëtico

IN LUCEM PUBLICAM PRODUCTUM;

A C

Perillustri, & Admodùm Reuerendo Domino,

D. FRANCISCO OBORSKI,

Ecclesiæ Collegiatæ Sanctorum Omnium

DECANO,

DOMINO ac BENEFACTORI AMPLISSIMO,

In argumentuw debitæ Venerationis,

A

M. PETRO SIENKIEWIC,

In Alma Vniuersitate Cracouiensi Philosophiæ Doctore, & Professore,

Scholæ Sanctorum Omnium Seniore,

DEDICATVM.

Anno Domini, 1686. Die 4. Octobr.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Stemma
Illustriss: Domûs OBORSCIANÆ.



Insistens basi, OBORSCIADUM firmata COLUMNA;
Magnanimi robur pectoris illa notat.
Si Patriæ toties supponit fulcra cadenti;
Firmiùs illa DEI sustinet ergò Domum.

PERILLVSTRI, ET ADM:
REVERENDO DOMINO,
D. FRANCISCO OBORSKI,
Eccleſiæ Collegiatæ Sanctorum Omnium
D E C A N O,
Dño & Benefactori Ampliſſimo.



N exornatum Sacris virtutibus amphitheatrum, minus ornata perſonatam non niſi induta ſcenam, mea tenuitas prodit PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Ad quod neutiquam me Tutelaris tui* S. FRANCISCI *Diuinæ planè Virtutes euocaſſent; niſi expreſſa in Te illarum imago non illibentem coëgiſſet. Auguſtum enim hoc cæli terræq́; miraculum, Magnus ſeraphicæ religionis Protoparens, nitentibus Glorioſi Phoenomeni Stigmatibus conſignatus, dum Cimmerijs obliuionis in vmbris latere non debeat, in aliud orbis amphitheatrum prodire illuſtrius cenſuit, quam à Gentilitia* OBORSCIORVM COLVMNA, *cêu ſolida baſi ſuſtentatum. Iuuat certè dicendis Diuiniſſimi Tutelaris Tui magnarum virtutum decoribus, Apollinis Cytharam, tuis excelſis viuiſq́; dotibus animari. Nefas eſt Tymantem agere; & ſub illius velo, Heroica virtutum tuarum facta obtutibus mortalium ſiſtere; cùm Gentilitia Tua* COLVMNA, *Herculeas etiam poſt ſe relinquat, cuius cælum ipſum capax, nullum ei par terræ ſpatium, immota religione in Deum, pietate in Diuos, amore in Patriam, vltra Calpen & Abylam nominis & gloriæ amplitudinem prorogauit. Cuius admiranda fortitudo in aulæ lubrico ſtetit ſemper inconcuſſa, velut Marpeſia cautes, ſolida quia curis publicis fatigari neſcia, etiam inter vaſta Cycladum naufragia, inter horrenda Cyclopum monſtra, infracta conſtitit. Inuenit in Te hanc Gentilitiæ* COLVMNæ *firmitudinem, maximus ille Polonæ Maieſtatis fulgor, Sanguinis Iagellonici Phoenix, Sereniſſimus olim* IOANNES CASIMIRVS, *dum Te Auguſtali ſuo adſcripſit, vt in publico theatro, maiorem prudentiæ, morum ac dexteritatis gloriam reportares. Inde Tibi per tot Europæ nationes, regnaq́; maximò terrarum & Oceani tractu diſtincta, vbicunq́; literarum maieſtas, & gloria floret, & quæſitus ingens doctrinæ, & prudentiæ apparatus. Inde iudicij acumen & ſublimitas, menſaq́; refertiſſima vbertate dogmatum ex grauiſſimis Authoribus decerptorum. Inde diſertum velut Romani eloquij flumen, neruus dicendi, & robur ſententiarum lepori Attico pondus ſerium immiſtum, digna Regum & Principum maieſtate rara facundia. Abſit in anguſtias chartæ cogere, celeberrimos Maiores Tuos, qui non tantum hanc auguſtam Rempub; verùm totam orbis ſubſolani machinam, factorum magnitudine, bellorum Victoriis & triumphis peruaſere. Quis enim ab hac ſolida* OBORSCIANæ COLVMNæ *baſi, magnanimos Hectores, feliciores Iulios, inuictos Epaminondas, Decios, Curtios, Scæuolas, in bello paceq́; prodijſſe non legit? quis prudentiâ Catones, iuſtitiâ Ariſtides, conſilio Neſtores, eloquentiâ Cyneas, & alios innumeros hinc proueniſſe non aduertit? ſæcula non euoluo, temperare animo haud valeo,*

quin tàm verè quàm liberè dicam firmissimam Ecclesiæ DEI COLVMNAM, Illustrissimum & Reuerendissimum THOMAM OBORSKI, *Virum insigni Pietate, Virtute, Eruditione, Vitá verè Angelicá præditum, apud omnes vitæ Conditores esse in confesso. Atq; ne palpo esse videar, sileo vel inuitùs, quàm stupet orbis vniuersus in* Illustrissimo & Reuerendissimo Dominino NICOLAO OBORSKI *infracti animi robur, in laboribus pro Dei honore, ac Ecclesiæ Dei immunitatibus sustinendis, necnon niueum illud vernantium virtutum, non secus ac* LILII *decus, quia quantò magis Deo soli Sanctæ & exemplaris vitæ suæ argumenta notiora esse cupit, tantò magis mortalium generi ore vocali reuelare vanum ducit. Verùm sufficis & Tu* Perillustris & Adm̃ Reñde Domine FRANCISCE OBORSKI, in Gentilitiæ COLVMNÆ Tuæ *gloria sustentanda; cùm in Te cêu in compendio totius* Illustrissimæ Domûs *summa reluceant decora ita; vt meritò Tibi* Illustrissimus & Reñdissimus Dominus Patruus Tuus Carissimus, *conspirantibus in Te omnium votis, munus Decanale commiserit, omenq; Tibi non vanum fecerit ad altiores in Ecclesia Dei gradus, & honores, Ingens hoc profectò pondus alijs videtur, cùm humeris suis incumbit; sed lacertos Tuos, tali ac tanto muneri obeundo pares in Te inuenit, adeò; vt Hercules post Atlantem successisse dicaris. Quidni verò pectus Tuum expeditum sit Sacris eiusmodi curis; quod multa exterarum gentium notitia excoluit, quod maximus ille zelus circa Diuina, illa velut Centoculi Argi vigilantia & cura accendit; cui gratiarum sine nube sudum, incredibili amore alliciens omnes, neminem perstringens, summam gloriæ, & honoris æstimationem conciliat. Sed ne omnem excellentiam Virtutum Tuarum rudi calamo deterere præsumam, vel ipso eo nomine quia Te Mecœnatem agnosco & veneror, Seraphici huius amphitheatri non tàm spectatorem, quàm Patronum supplex exopto. Expositum illud in publicum, ambire quidem protectionem Tuam erubesceret; nisi in me ab amplitudine Tua, ac animo in præstandis beneficijs verè heroico, promanantes gratiæ præstò constarent. Insigne igitur nomen Tuum, vel ideò inscribit suo capiti; vt meam in Te gratitudinis tesseram describat. quod tantò alacrius velim suscipe, quantò maiorem in eo Tui venerationem agnosces. Ego verò non manibus dabo* LILIA, *sed votis cælo suspiria plenis; vt Seraphici amphitheatri basis, Diuus Tutelaris Tuus de* OBORSCIORVM COLVMNA, *faciat Te omnigenâ felicitate, amplitudine, gloriâ, summisq; in Sacra Hierarchia honoribus, Solidatam Ecclesiæ Dei* COLVMNAM. *Ita vouet.*

Perillustri, & Reñdissimæ Dominationi Vestræ,

Cliens Deditissimus,

M. PETRUS SIENKIEWIC,
Philosophiæ Doctor, & Professor, Scholæ SS. Omnium Senior.

I.
Sanctus Franciscus Nascitur.

IAm nunc, iam tandem lætantes plaudite cuncti!
vitam FRANCISCVS ducit in orbe suam.
Infans iam grauidæ perrupit vincula Matris;
Vt libertatem viueret orbe datam:
Hic adamans lucem tenebras reputauit amaras,
Æternæ lucis Filius vt fieret.

II.
Natus Assisij.

Ausoniæ puero postquam dedit Assia lucem;
Est simul in vasto Cynthia nata solo.
Natus ad Hesperiam, Phœbi moriturus in ortu,
Solis ad occāsum transtulit ille diem.
Italicis exorta plagis, fax lucida; cunctis
Monstratura vagis, lumine, nocte diem.

III.
In Fascijs retentus S. Franciscus.

Impia progeniem cur Fascia stringis Olympi?
Est dignus summis Fascibus iste puer:
Mitte coronentur fragranti tempora lauru,
Inuidiam facies: mitte Dynasta iubet;
Eius felici gaudebit nomine Roma,
Expers consilij, non ruet orbis eo.

IV.
Iuuenis Musis consecratur.

Pulchra suum gremio Musarum Flora nepotem,
Tradidit: & fructum docta Minerua rapit.
Huic laurum Pallas plexit, viridemq; coronam,
Ad Cœlum traxit Divus Apollo Lyrâ.
Gramma, malam didicit benè declinare Iuventam:
In Pöesi doctus scandere celsa poli,
Rhetor & Orator superos orare sciebat:
Argumenta Sophûm cuncta reuoluit amor.

V.

Mercator Pecuniæ.

Aſſis me genuit, cùm diues ab aſſe manebam;
Aſſibus in multis, nec tamen aſſis eram:
Auro diues eram, cæli ſed ditior auro;
Argentum placuit ſpirituale mihi.
Diues opum fueram; nihilum tamen inde reportans;
Divitijs ſupero, cuncta beata ſoli.

VI.

Mercator panni pretioſi.

Cur colis Endromidem rigidam, chlamydemq; profanam?
Tincta Tibi præſtò murice veſtis adeſt.
Serica Sidonius gignit Tibi ſtamina murex,
Et Tyrias diploes, dat Tibi dextra Patris.
Diuide purpureas peramande Sodalibus vlnas,
Sed ſatis vna foret Fratribus Vlna Tuis.
Veſtijt hos humilis rugoſâ fronte cuculus,
Purpurâ qui cæli pura vocatur humi.
Sunt Veſtes, & Veſte cares Pater Alme, cruentâ
Hâc niſi Veſtiris: quam Sacra dextra dedit.

VII.

Mercator Fidei.

Non Græcam mercare Fidem, pie Græcule cæli,
Qui nunquam mercans orbe Cretenſis eras.
Ecce Tibi grandem theſaurum monſtrat Olympus;
Currito: diues eas magnus habebis opes.
Verba Fidem nutriunt, ſeruantq; fideliter aſtris,
Terenis fidibus clarior iſta fides.

VIII.

Heluo mercatur Deum, apud S. Franciſcum.

Quanti Numen abi: potius mercare falernum,
Hæc nam ſunt pretio cara biboſe Tuo.
Etſi ſtulte Tuis non fidis viribus? ito:
Diſce verecundus, quomodo Numen emas.

Aſt

Ast redeas ?mercare tamen bibo, Numina paucis,
Cara dabo: non vis? hinc procul ito ſcelus.
Inuidiâ rapiare poli præcordia ſcindant
Pectus; ego facilis: ſi velis illud emes.
Eſſe precor cupias Magni conuiua Tonantis:
Plus ibi Cæleſti, ſic madeaſq; mero.

IX.

Pater minatur S. Franciſco vincula.

Quid mihi cruda Pater promittis vincula terræ?
Quem validè ſtringit Sacra catena Dei.
Cardine me retrahet nunquam Tua dextra Supremo,
Sim quamuis Xerxis torque ligatus atro.
Non non afficiet rigido me compede terra,
In vinclis rectus mente ſolutus ovat.

X.

A facie Patris fugit.

Ora tument irâ, Genitoris pectora feruent,
Lumina Gorgoneo ſæuius angue micant;
A mucrone Patris fugio, videt vmbra latentem:
Aſt à me fugiunt, enſis & arma procul.
Intuitus feriat Patris me Vulnere crudo;
Sed tamen hâud poterit mucro ferire caput.
Totus Cimmerias nolo latitare per vmbras,
Prodroma nam virtus, arx mihi certa manet.

XI.

Patrem & Matrem derelinquit.

Hinc procul ite Patris theſauri, exeſte metalla,
Appage cum nummis, plena crumena Tuis;
Iam mundus, iam terra vale, comiteſq; valete,
Iam Soror, & Genitor, Mater amica vale.
Fælix in vacua regnabo tutus arena;
Quùm mundi, penitùs nullus amicus erit.

XII.

Vocâtio DEI ad Religionem.

Quò me Chriſte vocas? præeant Cæleſtia ſigna,
Aſtris natus eram, me ſimul aſtra petunt.
Spiritus Alme Patris duc me; Te flamine viuam:
Ingrediar Temet, viſcera pande mihi.
Per quod iter poſco, per quæ loca Diue trahes me?
Per iuga, per vepres, te trahet aura mea,
At tu per medios hoſtes tutiſſimus ibis,
Ibis in audaces, & licet arma ſonent,
Conſcia mens recti FRANCISCE minantia vincet,
Turbida tranquillus pectora vincet amor.

XIII.

Profeſſionem DEO facit.

O DEVS Omnipotens Tibimet mea vota reſeruo,
Paſce vagabundum, ſum comes orbe tuus.
Quominùs eſſe Tuus Socius poſſim arctus in æuum,
Iam me cum Socijs, diſſociare volo.

XIV.

Romæ cultum immutauit & inter pauperes ſedit, ac ex Eleemoſyna Domum DEI ædificat.

Sacrâ Metropoli, cùm luſtrat limina Petri,
Centonem induerant, brachia Sacra Viri.
Inde redux cælis audit verba: ito cadentem
Noſtram, theſauris ædificare domum:
Sideris Archivum pro ſumptu præſtò patebit:
Proq; labore Tibi, regna beata DEI.

XV.

Regulam Ordinis ſui confirmari petit.

Diue Pater noſtram confirma poſco tabellam,
Ex hac ſcripta, orbis diſcet amare DEVM.
Non peto mille boues, nec centum iugera terræ,
Sed per Te ſurgat, regula noſtra peto.

Parvula

Parvula sit quamuis mundo fert fulcra cadenti,
Firmat eam Magnus scilicet ipse DEVS.

XVI.

Ad pedes Innocentij Pontificis Maximi palma excreuit.

Præsulis excrescit Supremi sub pede palma,
Cælum cum terra fœdus inire notat.

Item in eandem Palmam.

Ne plantis mirere Sacris succrescere Palmam,
Plantatoris erat planta benigna sui.

XVII.

Vita austera, & seuera.

Esca Tibi cinis est, cineres rediturus in istos,
Terram terra vorat, vermis humumq; colit,
Fercula non cocus; ast tenuis Tibi mensa ministrat,
Pocula non Bacchus, sed breuis vnda parat.
Non vt edas viuis, sed edis quo viuere possis
Vita tibi nihil est, nam nihil eius aues.

XVIII.

Discipuli proficiunt sub illo.

Cessent Argolici doctas iterare Mineruas,
Gymnasium sileat dulce Platonis apes;
Proficiunt socij tanto dictante Magistro,
Illis non Ephorus, sed Theopompus adest.
Nec mirùm, per Te fratrum nam pectora, pro quam!
Extant Cælesti docta Magisterio.

XIX.

Recusat in ædificijs sublimibus manere.

Magnificas ego nolo domos nec regia tecta,
Pergama Lycini, marmora pulchra procul,
Talia nam terris habitare superbia poscit
Ast humiles animos paruula tecta fouent.

XX.

Amor erga Proximũ in paupertate.

Nil habeo, multos video qui plurima poſcunt;
Omnibus en trado, cor animumq; meum,
Malo vita mihi fragili breuietur in orbe,
Quàm prolongetur non bona ſors homini.

XXI.

Intactus ab igne remanſit.

Ignis totus erat, ſcintillas flamma vorabat,
Accendens caſtis ignibus orbe rogos;
Idaliis infenſus erat flammis quia Diuus,
Ignis FRANCISCO, magnus amicus erat.

XXII.

Corpus non deliciis, ſed verberibus nutrit.

Heû mihi corpus edax, multorum cauſa malorum,
Poſceret illecebras, ſed ſibi verber adeſt.
Corpus cùm ſcindes, animam FRANCISCE relinques,
Tunc poſco quid eris? non homo, ſors anima.
Imbribus hybernis æternùm corpus humabo,
Et ſic tutus erit ſpiritus inde meus.
Caſtiùs è niuibus caſtis vt credo reſurget,
Magnum frigus ei robora firma dabit.

XXIII.

In impreſſa Vulnera manibus, pedibus, & lateri.

CHRISTVS cum Diuo patiuntur Vulnera pro quo?
Hic vetus, iſte nouum tollere morte ſcelus.

Item in eadem.

Fôrs oblitus erat paſſi orbis Stigmata CHRISTI,
Hæc iterùm renouat, credat vt orbis ea.
Compatitur CHRISTO quaſſatâ miles arenâ,
Non homo ſitq; ſimul, cùm DEVS eſſe fugit.

XXIV.

XXIV.
Occultat Vulnera in Corpore.

Corpore cur casto celas tua Vulnera Diue;
Ne tumor, elatâ surgere mente queat.

XXV.
Moritur S. Franciscus.

Expectata dies Supremo venit Olympo,
Quâ lumen fidei, tum decus occiderat;
Sed vita vna dies fuit hæc, quam vixit in orbe,
Semper viuenti, luxq; diesq; fuit.
Sol terris oritur; sed vt occidit inde repente;
Sic Diuus, Sol hic quò fuit ortus, abit.

XXVI.
In qua natus, in eadem moritur Vrbe.

Prô quàm cruda nimis Patriæ sunt fata videtis,
Non parcunt nato quem peperêre suo,
Hunc Latium genuit, nec ei latiale pepercit,
Morte solum hi fodiunt; qui peperêre lares.
Sed FRANCISCE, Tuis minimè turbabere fatis,
Vita Tibi mors est, mors Tua vita Tibi.

XXVII.
In Ecclesia B. M. Virginis ad Portiunculas tumulatur.

Cùm dubij maneant omnes, quâ sorte beentur
Funera post animæ, quæ teneantq; loca,
Ædes dum refouent Diuæ Te, dicere possum,
Portio Cælestis tradita Diue Tibi.

XXVIII.
Tumulatus, incorruptus manet.

Ad tumulum fertur, Fratrum populiq; dolore,
Mente celebris homo contumulatur humo.
Non tamen in cineres sæclîs tot soluitur vrna,
Nam DEVS Alme, Tuis ignibus ardet adhuc.

XXIX.

Epitaphium Diuo Francisco stanti in tumulo.

Nullum miraris monumentum stare viator,
Eius imago loquax, stat super in tumulo;
Dicit aue, dicitq; vale, quærentibus hîc stas;
Inquit vivus ego; quid mihi cum tumulo.
Sum orbem dimensus, tumulus mihi terra remota;
Et custos tumuli, sum super orbe mei.
Decessi orbe breui, compleui tempora multa,
Sæcula, non annos hîc numerare scio.

Ad M. D. G. B. M. V. H. S. F. C.

